



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Augustanam synodum egregiè iuuat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

uocatis fieri est cœptum: publicos mores, qui corruptissimi; religionem, quæ fœdè deprauata erat, pro virili correxit, confirmavitque. Quibus muneribus & de Collegio præclara concitata expectatio est, & venturis sociis apud sacros æquè, ac profanos pro seminata benevolentia, & existimatio, ingens rerum agendarum momentum. Hos fructus eo gratiore verosimile est Magno Patrifamilias, cælestique Domino accidisse, quo cuius fideli villico constitere. Quanquam enim aduersa valetudine confictaretur, nunquam tamen cessavit ab opere. Indè etiam, postquam ad finem usque constanter in ea agricolatione durat, reuersum Dilingam aliquandiu molestæ iactarunt febres. Nempe ut geminarentur labori præmia lucris dolorum. Tanta enim æquitate animi, atque adeò alacritate, facilitate item, ac modestia suscipiebat, tolerabatque corporis humanas miseras, ut calici Domini reuerenter ad mouere labra intelligeres, nec de ingenti interim quæstu, quem faceret, dubitares. Vbi primum rediere vires, redierunt & labores. Præclarum, & arduam operam Cardinali Augustano nauavit diœcesanam synodum molienti. Res in eum v-

*Augustanam  
Synodum egre-  
sic inuitat.*

sum opportunas ipse comparauit. Ipse, dum Synodus haberetur, (habita est mense Maio) sic ad-nisus est publicè, priuatimq; dicendo, colloquendo, agendo, vt & Synodus Tridentina recepta sit, & complura rectè sancita: successumque, secundum Deum, ei potissimum, tum P. Alfonso Pisa-no Cardinalis meritò adscripserit.

Vix expedito synodi curis, peregrinandum rursus Herbipolim, & Argentoratū fuit, receptis ab Urbe mandatis summi Pontificis, vt earum Ciuitatum Antistites (cuius consilij autorem ipsum fuisse Canisium supra demonstratum est) admoneret, cohortareturque, vt mature prospicerent viam Catholici sufficiendi pastoris, ne post eorum excessum illa Christi Ouilia luporum in fauces venirent. Corripitergo confessim iter, mā-dataque executus prosperè satis Herbipoli, cum Rhenano Prouinciali, quem eo forte loco reperit, Francofordia, vbi sacerdotes duo de Societate, Moguntia, Spiraq;, vbi iam Collegia erant, transiens, ac socios vbique consolans, Argentoratum peruenit. Episcopū, veterem amicum apud Tabernas Alsatiæ conuenit, longo iam æuo, & mala valetudine oppido fractum. Audiuit perbe-

Mittitur à Pō-  
tifico ad Epis-  
copos.